



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.7. Immensitas Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

annulum, occidite vitulum saginatum. Ecce proponit ut hostis, concludit ut pater; subjicitque causam: *quoniam Deus ego, & non homo.* Imò si taliter Deus; quid ille, cum erit homo? Et quid tu, o anima mea, cum jam sis Deus? ecquando occurret amor amanti? filia patri? & si vis, sponsa sponso? adultera, cui poma servas? cui te ipsam? cani? dico cani, quæ impudentior cane est? Quid? erit, ut apud Æthiopas, Imperator tibi canis? erit Deus? & eris apud Deum Æthiops Christianus? eris canis? & adhuc pejor: nam amat amantem canis & servat; tu prodis.

§. 7. *Immensitas Dei.*

Hactenus amoris utcumque digessi modum: do nunc IMMENSITATEM; tantam in puncto, quantam in toto; nec exclusam, nec inclusam; totam omnibus, totam singulis; distributam non divisam, datam non amissam. Nam neque moveri loco potest immutabilis, neque partiri impartibilis, neque abesse inexterminabilis: cum sit omnium prima natura, sive, ut loquuntur, entelechia, id est, actus primus, *causa causarum, ens entium*, sine quo minus existere valeas, quam suo sine corpore umbra. Ergò sparsam undique per omnes mundi plagas habeo Dei
men-

DE AMORE DEI.

ss

mentem, non præsentem modò, sed infusam mihi, & magis in me quàm me, O quale calcare intelligenti! Habeo Deum, inquam, non montium, non vallium, non unius anguli larem aut penatem, neque Africanum aut Donatistam, sed, ut ejus fides, verè *Catholicum*. Quocumque venio, vacat mihi oculo irretorto. Non vallo, non seris, non præsidiis intercludor. Nemo arcet alloqui volentem. Quoties ad lubitum est, invado. Hoc fulcrum, hæc vitæ basis. Audit me ubique, & quodcumque; audio ego vicissim ac intueor intuentem. Nemo mihi dicat; *invisibilem non videri, etiam cum videtur.* (*Tertulian.*) Muto dictum; & dico videri, *etiam cum non videtur.* Omnia mihi Deum loquuntur. Omnia repræsentant. Sentio visitantis illapsum, vocem amantis agnosco? Quid plura? Nemo *Deo barbarus, nemo Cimmericus.* [*Clemens Alex.*] Aiebat Augustinus offensuro: *Quære locum ubi te non videat; & fac quod vis.* Ego verò amaturus sic edico: Quære locum, quære tempus, ubi non dico opera neque verba: sed vel animi reconditissima sensa non notet; & fac quod vis. O novum amoris incrementum! Deo teste, Deo spectante, approbante, applau-

dente, denique coronante certamus, sub oculis Judicis, Regis, Patris.

Ergò mihi pro minimo est, ut à vobis, ó mortales, judicer, aut ab humano die, (1. Cor. 4.) non magis, quàm à coaxantibus in limo ranis, aut à concrepantibus in ramo graculis. *Est qui judicet in cælo, conscius mei & meus.* Dic mihi tu, si coram Rege miles in aciem descenderes, impendente capiti coronâ; enim verò quónam animi robore, quâ promptitudine, quâ alacritate congregerere? Et tamen ibi præstò esset homo homini, fœnum fœno; *gloria enim ejus, ut flos fœni.* (Isaia 40.) Hic sub oculis Dei Regis certatur: hic pro coronâ non Dei, non Regis; sed quæ ipsa Deus est: & languemus?

§. 8. *Æternitas Dei.*

Postremum, sed & supremum incentivum amoris, ÆTERNITAS, *ratio ultima non Regum, sed Dei.* Cetera minus sunt minimo; quia quicquid perit ac finem habet, somnium est & umbra: Deus autem est *interminabilis vite tota simul ac perfectâ possessio.* [Boëtius.] Sicut immensitas tota est in puncto; sic æternitas tota est in momento; ita ut æternitas Dei beatis non plus duret quàm unum momentum tota, & vicissim

mo-